

Blasius of Parma, *Quaestiones de anima* (Vat.Chig.O.IV.41)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 1, quaestio 1. (fol. 112r)²

**//Circa primum librum de
anima primo quaeretur, utrum
aliqua notitia sit nobis possibilis?**

Et arguitur quod non, primum argumentum: si aliqua notitia esset nobis possibilis, maxime esset illa quae haberetur de primo principiis, ut sunt illa 'de quolibet est esse uel non esse etc.', 'omne totum est maius sua parte'. Sed de primo principio non habetur notitia, quia multi concedunt contradictoria esse simul falsa, et hoc in casu de insolubili, sicut declaratum est in alia facultate.\\ Sic conceditur quod contradictoria sunt simul uera. Unde aliqui concedunt illas duas propositiones 'aliquid est Socrates et Plato' et 'non est Socrates et Plato'. Unde platonici concludunt primam sicut arguendo 'hic homo est Socrates et idem homo est Plato, ergo aliquid est Socrates et Plato'. Antecedens concludunt, quia ponunt ideam etc. Similiter alia pars conceditur, scilicet 'nihil est Socrates et Plato', quia sequitur 'Socrates non est Plato, ergo nihil est Socrates et Plato'.

Idem demonstratur

de hoc principio 'omne totum est maius sua parte', quia aliqui concedunt partem esse aequalem toti. Declarant sic, quia dato uno grano millis(?) sine rarefactione illud granum millis(?) potest continere totum uniuersum, et hoc

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747.

The transcription may be cited as follows:

Blasius of Parma, *Quaestiones de anima* lib. 1, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² This question is partly transcribed by Graziella Federici Vescovini, in *Le Quaestiones De Anima di Biagio Pelacani da Parma*. Accademia Toscana di Scienze E Lettere 'La Colombaria', Studi 30. Firenze 1974. 37–42. My transcription involves text transcribed by Vescovini. Vescovini's transcription is marked by //...\\ signs.

naturaliter, quia per solam eius extensionem potest quantumlibet illud granum extendi, et in eo potest inuolui totum uniuersum.

Et quia continens non est minus contento, est ueram quod istud granum adaequatur toti uniuerso. Et constat, quod illud granum non est maius quam ante fuit, quia augmentatio non fit sine corpore adueniente, ut scribitur, *II De generatione*.

Secundum argumentum: si aliqua notitia, etc. maxime illa esset notitia conclusionum, quia proprie conclusiones debent sciri(?) posteriorum primo.

Sed contra illud, quia multi sapientes negant quamcumque formam. Unde multi dicunt hanc formam non ualere 'hic homo est Socrates et idem homo est Plato, ergo Socrates est Plato', eo quod praemissae sunt uerae et conclusio falsa. Ergo, cum negent formam expositivam, uidetur a forma quod quaelibet alia forma sit neganda.

Confirmatur, quia si aliqua forma ualeret uel esset, illa in qua arguitur ab eodem ad idem uel ab eodem a<d> diuersam. Sed constat quod secunda forma³ non ualet, quia omni tali forma proposita oppositum consequentis et antecedens stabit simul, quia ad hoc quod aliquae duae propositiones repugnent requiritur, quod sint eiusdem subiecti et praedicati suppositum(?) pro eodem <fol. 112rb>

uel est eiusdem, ut scriptum est, *II Elementorum Elenchorum*. Hoc autem non est in proposito postquam arguitur ab eodem ad diuersam. Nec potest dici, quod quidem ad eodem ab idem ualeat, quia non est⁴ possibile intellectum formare in se duos conceptus⁵ omnino consimiles, quia ut scribatur, *II huius*, recipiens debet esse denudatum a natura recepti.

Tertium⁶ argumentum: si aliqua notitia etc. uel esset sensitua uel intellectua, sed non sensitua propter multiplices erroneas et deceptiones, quae accidunt in uisu. Unde aliter per sensum uisus apparet, quod una res res res(?) sit duae res, et aliter apparet, quod duae res sint una res. Et per uisum creditur, quod cometae sint in caelo et discurrentia sidera. Et aliter apparet quod baculus partim existens in aere partim in aqua sit fractus. Ideo hoc cuilibet uidetur et per aliam uirtutem creditur oppositum.

Similiter(?), per uisum creditur, quod ea quae uidentur mediante speculo sint in speculo uel ultra speculum cum secundum rem

³ scripsit sed del. ualet

⁴ scripsit sed del. in

⁵ scripsit sed del. omne

⁶ scripsit sed del. similiter

ueritatem sint citra speculum. Idem, dico de sensu gustus, quia aliqui duo quorum quilibet est sanus et bene dispositus habent contraria iudicia de eodem gustabile. Unde alicui apparet, quod hoc gustabile sit dulce et alteri apparet amarum. Et quis illorum bene iudicet? Et cui⁷ sic credende uertitur in dubium. Ex hoc concluditur, quod nulla notitia sensitiuae est nobis possibilis.

Nunc patet de intellectiua, quia illa argumentatio ualet 'nulla notitia sensitiua est nobis possibilis, igitur nec intellectiua', eo quod omnis notitia intellectiua, si aliqua est, deducta est a sensatiua. Ideo scribatur, *I Posteriorum*, quod destructe nobis aliquo sensu, necesse est et scientiam illas sensus deficere.

Quartum argumentum: si aliqua notitia etc., quaereret statim, quae res est haec notitia, ut uidelicet, an sit substantia, an qualitas? Et nemo dicit, quod sit substantia. Sed quod non sit qualitas declaratur, quia tunc esset subiectiua in anima, sed hoc dici non potest, quia tunc asinus in infinitum maiorem haberet cognitionem quam homo. Conclusio sequeretur, quod homo non posset habere cognitionem intellectiuam. Et ratio huius est, quia anima intellectiua est indiuisibilis modo anima intellectiua, non potest habere cognitionem de homine uel lapis nisi per speciem hominis uel lapidis, quae species est res extensiua, alioquin non potest esse uera similitudo hominis uel lapidis⁸ cum autem similitudo hominis uel lapidis <fol. 112va> sit extensa, non potest recipi in intellectu nostro, qui est indiuisibilis et inextensus.

//Quintum et ultimum argumentum: si de Deo non est possibilis nobis aliqua notitia, sequitur quod nec de aliqua re mundi est aliqua notitia nobis possibilis. Istud sequitur pro tanto, quia non potest haberi cognitio alicuius rei nisi per suam causam, modo omnium rerum circa Deum, Deus est causam, ut scribitur, *II Metaphysicae*, ad textum in his uerbis, Deus est animal sempiternum et a quo totum caelum et natura et rea dependeret. Sed probatur quod de Deo non sit nobis aliqua notitia possibilis, quia non potest aliter cognosci quam ipse sit cognoscibilis, sed infinite est cognoscibilis, quia ipse est infinitus. Intellectus autem humanus non potest ipsum cognoscere infinite, quia non est tante capacitates quod possit habere in se cognitionum infinitam. Immo ubi tu cognosceres ipsum Deum, tu haberes cuiuslibet rei cognitionem et euidentem notitiam, et omnia essent tibi aequaliter nota et sic nihil dubitares.

⁷ vel tibi

⁸ scripsit sed del. ??

Consequentia tenet, quia cuiuslibet rei
Deus est causa et non est magis causa unius rei
quam alterius quare etc.

In oppositum est Aristoteles in
illo prologo, *De anima*, nititur dare nobis notitiam
de anima et sic de aliis.

**In ista quaestione pono
unicum articulum** in quo ponere conclusiones quaestionem determinantes.

Prima conclusio: res sensibilis cognosci potest naturaliter ab anima
intellective cognitionem simplici et intuitive. Probatur conclusio,
quia ex quo est sermo de re sensibili ipsa potest causare
suam speciem in anima, et tunc anima lumine
naturali formabit cognitionem simplicem de ipsa re,
quae cognitio diceretur intuitive, quia cognitio intuitive
dicitur esse illa quae est rei praesentis per eius propriam
speciem.

Secunda conclusio: res sensibilis cognosci potest ab
anima intellective cognitio simplici et abstractiva. Patet
illa conclusio, quia mediante uirtute memoratiua potest reseruari
species in absentia reorum sensibilis, quae species
potest mouere intellectum et causare cognitionem intellectiuam, et
talis cognitio dicitur abstractiva.

Tertia conclusio: Deus
potest a nobis naturaliter cognosci sensitiva cognitione
et intellectiva. Declaratur, sed ante declarationem noto quod illam
cognitionem appello sensitivam quae deducitur ex sensatis.\\
Tunc probatur conclusio sic, et facio istam consequentiam 'ille lapis est,
igitur Deus est'. Quod illa consequentia teneat, declaratur, quia sequitur 'ille
lapis est, igitur ille lapis est dependens uel independens'
et si est independens, sic est Deus.

<fol. 112vb>

Ergo, a primo ad ultimum 'si lapis est, Deus est'. Si uero
sit dependens, ergo ab alio dependet, et sit
illud A. Ergo sequitur 'si lapis est, A est, ergo A est dependens
uel independens'. Si independens,
sic est Deus. Ergo a primo ad ultimum 'si lapis
est, Deus est'. Si dependens, ergo ab alio dependet,
et cum non sit processus in infinitum deuenimus(?) ad alios
independens, et quia omne independens est Deus, concluditur⁹
oppositum. Ualet ergo illa consequentia 'lapis est, ergo Deus
est'.

Sed cum tu habeas notitiam sensitivam de antecedente,

⁹ vel concluderetur

sequitur, quod tu habes notitiam sensitivam de consequente, secundum quod uerba consequentis praetendunt, et quia praetendunt Deum esse, sequitur propositum.

//Quarta conclusio: Deus potest a nobis naturaliter cognosci intuitive cognitione et abstractiua.

Et pro declaratione conclusionis per intuitivam cognitionem ego intelligo omnem illam cognitionem, quae deducitur ex aliquo intuitive cognito. Et patet tunc conclusio acceptando formam praedictam.

Quinta conclusio: ex puris naturalibus possibile est nos in cognitionem primi esse deuenire. Patet ista conclusio, quoniam ex cognitione lapidis tu deuenis in cognitionem primi esse, ut deductum fuit in tertia conclusione.

Sexto conclusio: ex puris naturalibus in cognitionem Trinitatis possibile est nos deduci. Conclusio arguitur sic: ex puris naturalibus in cognitionem Dei possibile est nobis deduci. Sed ipse Deus est Trinitas, ergo conclusio uera. Ex his omnibus sequitur una conclusio responsiua de quaesito in hac forma: notitia intellectiua est nobis possibilis. Hoc sequitur ex praedictis.

Nunc loquor de sensitiva notitia. Pro quo sit prima conclusio: uisio potest in uisu conseruari obiecto eam non conseruante. Et idem dico de quodlibet sensu exteriori.\\

Probatur conclusio, quia in uidendo aliquod lucidorum forti intuitione recipitur species in oculo, quae species in oculo conseruatur per tempus notabile, ut uolunt perspectiui et experientia docet, quia cum tu inspexeris aliquod lucidum forti intuitionem, quamcumque tu uertas te ad aliam locum in absentiam illius lucidorum tu non poteris iudicare de remitti luce quousque uestigium non euanidus(?) signum est ergo quod illa species habet esse in oculo per tempus notabile, sed quia species repraesentatiua est illius cuius est species, sequitur quod talis species in absentia obiecti sui praesentabit obiectum suum uisui. Et sic constat, <fol. 113ra> quod uisio potest conseruante obiecto non conseruante.

Contra quam conclusionem sic instatur: non magis lumen dependet a luminoso et radius a radiante quam uisio ab obiecto suo.

Sed lumen in medio non potest conseruari sine praesentia luminosi,
nec radius sine praesentia radiantis, ergo a simili
nec uisio putatur conseruari sine praesentia uisibilis.

Ad hanc factam instantiam respondetur. Et primo posset
dici, quod similitudo non ualet, quia alium modum¹⁰
reseruandi speciem habet humor glacialis oculi
et aliam modum habet ipse aer intantum quod aer non est
conseruatis luminis in absentia luminosi. Idem dicimus
de organo uirtutis memoratiuae, quod est reseruatium specierum
per quinque annos et ultra, quod non facit organum sensus
communis.

Aliter respondeo ad argumentum, negando antecedens pro
secunda parte. Unde dico, quod lumen potest in aere conseruari
in absentia luminosi. Et pro illo adduco tibi
notabilem experientiam, quia cum per aerem tu circulariter
ducis corpus splendidum uel baculum in uno
eius extraneo(?) ignitum(?) conseruatur lumen in omni puncto
circumferentiae illius circuli, ut constat et est uidere
per uisum, et tamen necessario hoc est in absentia
luminosi, et cum luminosum non possit simul et semel
esse in omni puncto circumferentiae. Unde dico quod si
subito et in instanti Deus crearet unam opacum inter
illud lumen diffusum in aer et luminosum, tu adhuc
uideres lumen in aer post interpositionem opaci.

Conclusionem igitur sic probata inferuntur quaedam corollaria.

Primum: uisio est in Socrates per quam uisionem nihil est
quod Socrates uideat. Patet corollarium, postquam uisio potest conseruari
obiecto non conseruante. Potest igitur obiectum corrumpi
et uisionem conseruari, et sic stat corollarium.

Secundum:

tu uides aliquid, et nihil est illud. Patet, quia in casu
praedicto postquam tu habes uisionem, sequitur quod in oculo
tuo est species repraesentatiua obiecti sive illud obiectum
sit sive non. Ponatur igitur, quod non sit, et sequitur prima pars,
scilicet quod tu uides aliquid et¹¹ clarum est quod nihil
est illud postquam obiectum est corruptum. Et oportet haec imaginari, quod
hoc uerbum 'uides' sit tempus¹² amplius(?), sicut dicimus
de aliis uerbis habentibus explicare¹³ actum intellectus,
quia concedimus nos habere memoriam et recordationem
rerum praeteritarum quae non sunt. Ita quod non ualet hoc argumentum
'ego recordor patris mei, igitur pater meus est'.

¹⁰ *scripsit sed del.* habet ipse aer

¹¹ *scripsit sed del.* nihil

¹² *vel* terminus

¹³ *vel* explicationem/explicatur

Et

tunc sequitur aliud corollarium, quod est: tu uides Petrum,
<fol. 113rb>

et Petrus pro tunc non est a te uisus. Patet illud corollarium sicut enim 'tu uides aliquis et nihil est illud'. Sicut dico in proposito, quod ubi tu uideas Petrum et Petrus non sit in rerum natura, in isto casu Petrus enim non est a te uisus. Et pari(?) formaliter(?) sequitur, quod tu audis sonum et pro tunc nullus sonus est.

Secunda conclusio: quod homo aliquid uideat uel audiat uel aliquid sensatione exteriori sentiat nequaquam persuaderi est possibile. Illa conclusio clara est per illam quae sequitur. Et est hoc: nunc(?) tu uigiles, non potest persuaderi. Patet, quia nulla talis forma ualet 'tu loqueris, igitur tu uigilas', quia multi dormiunt loquentes. Nec illa forma ualet 'tu ambulas uel equitas, igitur tu uigilas'. Et tunc patet conclusio praecedens, quia ubi¹⁴ tu dormires, tu non sentires aliquid sensatione exteriori.

Ex hoc sequitur duo corollaria.

Primum est: possibile est quod tu naturaliter indices te uidere et per tunc tu non uides. Patet, dum tu dormis, saepe tu indicas te uidere, et pro tunc tu non uides, quia sensus exteriores sunt ligati.

Secundum: possibile est quod tu naturaliter uides Socrates quatenus(?) qui est in conspectu tuo, et pro tunc non indicas te uidere ipsum. Patet corollarium,¹⁵ et hoc saepe contingit¹⁶ dum tu non aduertas(?).

Et hoc dicta sint de determinatione quaestionis.

Ad rationes. Ad primam, notitia principiorum non est nobis possibilis, negatur hoc. Ad probationem, quia multi concedunt contradictoria esse simul falsa, dico quod argumentum probat aliquam cognitionem esse nobis possibilem, dico enim¹⁷ tibi, quod concedere contradictoria esse simul falsa non est contra illud principium de quolibet esse uel non esse etc. Unde illud principium non ualet(?) aliud, nisi quod si unum contradictorium significat sicut est, relatum(?) significat aliter quam est. Et sic est in insolubilibus et in quacumque materia nisi formata sint contradictoria.

¹⁴ *vel* nisi

¹⁵ *vel* contrarium

¹⁶ *vel* conuenit

¹⁷ *vel* non

Ad secundum argumentum,
aliqui concedunt contradictoria esse uera, negatur. Ad probationem,
aliqui concedunt quod aliquid est Socrates et Plato, et aliquid est
homo et asinus, sicut concessisset Plato tractat(?) idem.
Et tu dicis, quod enim¹⁸ conceditur, quod 'nihil est Socrates et Plato',
negatur illud, licet nos concederemus, quod nihil est Socrates
et Plato, qui negamus ideam et negamus unam rem
esse duas res et quamlibet illarum. Nec ualet hoc argumentum
penes Platonem nec penes theologum 'Socrates
non est Plato, ergo nihil est Socrates et Plato', sicut non
ualet 'pater non est filius, igitur nihil est pater et filius'.
<fol. 113va>

Ad aliud argumentum, aliqui negant illud principium 'omne totum est
maius' etc, negatur illud. Et dico breuiter, quod granum
millii(?) sine rarefactione aliqua et augmentatione ipsius potest
continere totum uniuersum cuius est pars, ut deductum
sit. Esto adhuc quod uniuersum minoraretur
ad minorem(?), sed ex hoc non sequitur quod granum
millii(?) adaequetur uniuerso, quia ad hoc quod aliqua
sint aequalia oportet omnes eius¹⁹ dyametros
inuicem adaequari.

Ad aliud argumentum, si aliqua notitia
etc., illa esset notitia conclusionum tractat(?) hoc. Et ad probationem quod non,
quia multi noua et antiqui negant omnes argumentationes,
negatur illud ad probationem, quia illa negatur 'hoc est homo et idem
est asinus, igitur homo est asinus'. Dico quod illa forma non est expositoria
nisi una res sint duae res et quaelibet
illarum, sed bene conceditur in illo casu, quod aliquid est homo
et asinus.

Ad aliud argumentum, cum probatur quod nulla forma
ualeat, quia uel esset illa in qua arguitur etc. Dico hoc,
quod quaelibet ualet sive arguat²⁰ ab eodem ad idem sive etc.
Et ad probationem quod non, quia primo non ualet illa in qua arguitur ab
eodem ad idem cum intellectus non possit habere in se
duos conceptus omnino similes, respondetur, quod immo postes habere
plures et omnino similes. Et ad auctoritatem cum dicit
debet esse etc., dico quod auctoritatis sic debet
exponi, quod recipiens non debet habere in se naturaliter
idem(?) aliud quod est in potentia materiae, dico, quod intellectus non habet
maiolem conceptum in se secundum naturam.

Ad aliud, cum tu
dicis, quod quando tu arguis ab eodem ad diuersum

¹⁸ *vel non*

¹⁹ *scripsit sed del. dya*

²⁰ *vel arguatur*

oppositum consequentis potes stare cum antecedente, negatur illud. Et ad probationem, quia ad hoc quod aliquae propositiones repugnent requiritur, quod sint eiusdem subiecti etc., dico quod illud non requiritur, sed bene requiritur, quod oppositum consequentis possit inferre oppositum antecedentis contradictorium uel contrarium. Non tamen requiritur, quod oppositum consequentis formaliter contradicat²¹ antecedenti nec quod ex contrarietate(?).

Ad

aliud argumentum cum declaratur, si aliqua notitia etc., uel illa esset sensitua uel intellectiua, dico quod utroque modo. Ad probationem quod non, quia contingit²² nos per uisum multipliciter errare, concedatur.

Sed ex hoc non sequitur, quod nulla notitia sensitua sit nobis possibilis. Dico enim quodlibet contingat saepe uisum errare, hoc non contingit supposita bona dispositione oculi respectu obiecti uisus de²³ per se in distantia moderata, ut dicitur in, *II ad textum*. Et dico supposita sanitate oculi, quia habentibus oculos excessiuae
<fol. 113vb>

humidos albet omnia rubea, eo quod album transiens(?) per nigrum etc.. Dico similiter quod notitia intellectiua est nobis possibilis. Et ad probationem, quod non nulla sensitive est nobis possibilis, igitur etc. nec, negandum est antecedens, ut patet.

Ad aliud argumentum, si aliqua notitia esset etc. quaereretur quae res est etc., dicendum, quod hoc non est una qualitas subiective existens in corpore animato, quae notitia est extensa secundum quod tangit argumentum.

//Ad aliud argumentum: Deus

non potest cognosci, ergo etc., negatur assumptum. Ad probationem, quia nec cognitione sensitua nec intellectiua, negatur, immo cognitione sensitua et intellectiua potest cognosci, ut dictum est in determinatione questionis, quae notitia deducta est bene ex sensatis, ut quia Iudaeus astra mouendi continuo motu et incessabili arguimus unum motorem etc.

//Sed cum dicitur si Deus cognosceretur, tunc tu posses cognoscere omnia aequaliter et uno modo, dico bene quod ex cognitione Dei tu cognoscis omnia, quia tu scis omnia esse et omnia esse sunt omnia, et sic tu scis et cognoscis omnia.

Uerum est tamen quod tu non cognoscis omnia cognitione distincta et perfecta sicut nec tu habens cognitionem distinctam et perfectam de ipso Deo etc.\\

²¹ scripsit sed del. con

²² vel conuenit

²³ vel debet